

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 7. Novæ Turcarum invasiones in Hungariam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](#)

**Sæc. XVII.** vellet: nec tamen illico capita delibe-  
A. C. 1652. randa proponebantur, partim quod an-  
 nus jamjam ad finem vergeret, partim  
 quod Brandenburgicos inter & Suecos  
 adhucdum lis circa fines & Pomeraniæ  
 vectigalia ferveret.

## §. VII.

*Novæ Turcarum invasiones in  
Hungariam.*

*Ortel. con-  
tin. chron.  
p. 166.  
Tuld. Hist.  
temp. l. I.  
pag. 27.*

Quantumvis Turcæ anno priori a Ve-  
 netis maritimo prælio ingentem  
 cladem perpesi essent, nihilominus hoc  
 anno, insuperhabita firmæ pacis pol-  
 licitatione per suos Legatos Viennæ  
 facta, crebris irruptionibus Hungariam  
 infestarunt, ac Schemicum usque ex-  
 currentes, ex suburbis multos Chri-  
 stianos in diram servitutem unacum  
 opima armentorum præda abstraxere.  
 Prospero insuper hoc populationis suc-  
 cessu animati, cum valido agmine Neo-  
 solium intercipere parabant, tempe-  
 stive autem Lesleus, Franciscus, Tho-  
 mas, & Caspar, omnes ex generosissi-  
 ma Esterhasiorum familia, selecto mi-  
 lite eos adoriuntur, primoque impetu  
 in fugam agunt: cum vero hi incau-  
 tius, longiusque abrepti hostem infe-  
 quuntur, a bis mille Turcis, qui in in-  
 fidiis latebant, cincti post acre certamen

una-

unacum suorum potissimum trucidati sunt, Sæc. XVII.  
ceteris omnibus captis. Accurrerat e- A. C. 1652.  
quidem Adamus Forgatsius Neosolii  
Gubernator, aet numero longe impar  
non sine clade retrocedere cogebatur:  
Nec tamen Turcis incruenta erat hæc  
victoria; ex ipsis enim cecidere octin-  
genti, atque inter eos sex Budensis Pro-  
vinciæ Præfecti, & tres prætorianæ  
cohortis Duces. Paulopost Turcæ cor-  
rasis undique copiis Sendreum, Bu-  
tinequum & Giesgoviam expugnarunt,  
incensisque pomæriis incolas, milites-  
que nullo sexus, formæ aut ætatis di-  
scrimine unaomnes aut jugularunt, aut  
pro captis abduxere: continuata de-  
mum rabie Sezinum urbem concubia  
nocte interceperunt, unoque miscentes  
interitu obvios quosque, prout quem-  
que de Christianis casus infaustaque  
fors in furentium manus dederat, pas-  
sim gladiis, sclopis, & hastis intereme-  
runt. Tot suorum calamitates miser-  
tus Imperator Ferdinandus III. Buche-  
mium Comitem cum valido exercitu  
Comoram emisit, & pro tutandis Hun-  
gariæ finibus ingentem pecuniæ vim  
Austriacis subditis imperavit; non enim  
a Polonis militum aut pecuniarum sub-  
sidia sperare poterat; ipsem etenim Ioan-  
nes Casimirus Poloniæ Rex gravi bello  
a Cosakis Tartarisque premebatur, se-  
B 4 ditio-

**Sæc. XVII.** ditionem movente Pogdano Chmnel.  
**A.C. 1652.** nicio, qui Cosakos profligatissimum ho-  
 minum genus ex Lithuanis Sarmatis-  
 que conflatum sibi sacramento addixit,  
 junctisque sibi Tartaris, eorumque Cha-  
 mo Polonos primo victores, paulopost  
 commisso ad Boristenem infausto præ-  
 lio fudit, fugavitque: Hac victoria de-  
 dum elati Cosaki rursus e latibulis suis  
 in Valachiam erupere, hujusque Pro-  
 vinciae Principe magna pecuniæ vi mul-  
 tato, in Podolia Caminieckam arte,  
 natura, & obsessorum virtute munitif-  
 simam urbem septies, incassum tamen,  
 expugnare moliebantur: Ea res ita per-  
 culit Regem, ut convocatis rursus ad  
 arma Nobilibus Varsoviæ comitia indi-  
 ceret, in quibus Regi pecuniarum sub-  
 fidia pro retundendis hisce rebellibus,  
 & tutandis Poloniæ finibus omnium  
 judicio necessaria decernebantur.

### §. VIII.

*Philippi Christophori Trevirensis Ar-  
 chiepiscopi & Electoris obitus.*

*Briet. An-  
 nal. Mundi  
 ad hunc  
 ann.*

Hoc item anno Philippus Christopho-  
 rus a Soteren Trevirensis Archie-  
 piscopus, & Elector die septima Februa-  
 rii anno ætatis suæ octogesimo septimo,  
 Electoratus vigesimo nono, & Spiren-  
 sis Episcopatus quadragesimo secundo  
 Tre-